4

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

PARTURIENTIUM RECLINATIONE SUPINA PRO FACILITANDO PARTU, INUTILI

QVAM

ADSPIRANTE SUMMO NUMINE

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE

PRÆSIDE

IO. GEORGIO DANIEL COSCHWITZ,

DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. IN ALMA FRIDERI- PROFESS. PUBL. ORDIN. ET POTENTISS. PORUSS REGIS IN COMITA- MANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS. PHYSICO MERITIS- SIMO ACAD. CÆSAR. LEOPOLD NAT. CUR. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO,

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO MAXIME COLENDO

PRO LICENTIA,

MOS IN ARTE SALUTARI HONORES, PRIVILEGIA ET IMMUNITATES MORE MAJORUM OBTINENDI


Anno M D C C X X V. D. Nov.

H. L. Q. C.

Publico Placidoque Eruditorum Examini exponet.

DAVID Gottvertrau BOERNER.

DREBACENSIS MISNICUS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

DE

PARTURIENTIUM RECLINATIONE SUPINA, PRO FACILITANDO PARTU INUTILI.

PROOEMIUM.



Uod mille modis moriamur Mortales, unico vero naſcamur; tritum eſt inter mortales proverbium: Nec deeſt ipſi generalis veritas; mortem enim quod attinet, in omnes ac ſingulos notum eſt; ipſam mortem eſſe certiſſimam, modum autem moriendi incertum, huncque reſervatum aliquod eſſe Divinæ Omniſcientiæ, & voluntatis. Naſcendi modum quod concernit, in genere quoque veritas illa viget, quod omnes ac ſinguli a fœminis in Utero geſtemur, poſtque novem menſes elapſos,

ex utero materno, ſub conſuetis motibus atque doloribus, ad partum ſpectantibus, in lucem edamur: ideoque nec reges aut Principes, nec tenuioris ſortis perſonæ ullam hic fortunæ prærogativam agnoſcant aut experiantur. Verum enim vero, etiamſi hæc ita ſe habeant, nemini tamen, qui mundanas calamitates, poſt triſtiſſimum Protoplaſtorum lapſum nobis reſtantes perſpectas habet, incognitum eſſe poteſt, ſpecialiſſimum naſcendi modum haud ſemper eundem eſſe, ſed miſeras, & maxima commiſeratione dignas foemellas ſæpiſſime cum graviſſimo ſui periculo experiri, atque teſtari, negotium partus a regula naturali & ordinaria deflectere, ſitumque foetus extraordinarium & præternaturalem, partum ipſis laborioſum, difficillimum, imo lethalem efficere.

Naturæ enim ordo & leges volunt, ut in partu legitimo Caput foetus antecedat, totumque reliquum corpus ſequatur, ſuccedentibus ſecundinis: quot autem, quibusque modis hic ordo invertatur, illi optime ſciunt, qui miſeris in hoc ſtatu poſitis foemellis manus auxiliatrices præbere coguntur; mox enim partus illegitimus adeſt, quod loco capitis pedes, aut alterutra manus, mox quod axillæ, dorſum, nates, aut venter, exitum quærant primum: vel quod plures ſimul partes ad exitus viam ſimul detrudantur, quæ ſibi invicem totique foetui egreſſum difficiliorem aut impoſſibilem reddunt.

Hæc foemellarum parturientium calamitoſa conditio Medicis, Chirurgis, & obſtetricibus anſam

ſam dedit meditandi, de variis modis, diverſisque enchiriſibus, foeminis in hoc ſtatu opitulandi, atque negotium facilius reddendi : quapropter tot ſcripta loquuntur de variis modis foetum invertendi, eumque ad legitimum ſitum reducendi, ſub quo maiore facilitate, minoreque parturientium periculo excludi poſſit.

Hoc intuitu & ſub hac intentione aliquando etiam conſilium ſuppeditatur, DE RECLINATIONE PARTURIENTIUM VERSUS CAPUT: ut inde foëtus alium acquirat ſitum, faciliusque extrahi queat. In cuius conſilii & remedii utilitatem penitius inquirere, præſente Themate inaugurali, animus eſt. Quod, ut aſſiſtente SUMMO PROPITIOQUE NUMINE, in emolumentum ægrarum, bene cedat, ab eodem NUMINE devotiſſimis votis precamur.

§. I.

UT Diſſertationis titulo ſatisfiat, neceſſitas poſtulabit, ut primo explicemus mentem, quid per Parturientes, quid per Partum difficilem & facilitandum intelligamus. Prius quod attinet, notiſſimum quidem eſt in omnes, Parturientes foeminas dici illas, quæ abſoluto graviditatis termino, doloribus ad partum ſpectantibus corripiuntur, & in immediato foetum maturum excludendi negotio conſtitutæ ſunt, & in vernacula, titulo generali, Kreyſſende Weiber vocantur. Cum autem hoc ſenſu omnibus ac ſingulis foemellis in

hoc ſtatu poſitis hoc nomen competat, noſtra autem tractatio non generalis, ſed magis ſpecialis ſit; ratio poſtulat, ut mentem declaremus noſtram, quod hic loci non de omnibus ac ſingulis gravidis partui proximis nobis ſermo ſit, ſed ſaltem de illis, quæ Partui difficili ſubiiciuntur, & quibus pro faciliore reddendo partu, remedium in titulo nominatum ex hypotheſi accommodatum eſſe poſſet. Illæ enim mulierculæ, quæ facilem legitimumque experiuntur partum, tali facilitationis remedio haud indigent, unde ſua ſponte fluit, illas parturientes hic non in conſiderationem venire, ſed ſolum has, quæ reſpectum habent ad præſens negotium, circa quod primario tota tractatio occupata exiſtit.

§. II.

Per partum difficilem & facilitandum non intelligimus omnem partum, qui cum labore & dolore parturientis coniunctus exiſtit; cum ſane hoc ſenſu pauciſſimæ, imo fere nullæ reperiundæ eſſent foeminæ, quæ non ad claſſem difficulter parturientium referri deberent. Conſtitutio enim illa legis divinæ perpetua eſt, adeoque univerſalis, ut nullæ pene mulieres gravidæ ab illa eximantur; qua poſt triſtiſſimum Protoplaſtorum in Paradyſo lapſum ſancitum eſt, quod mulier in memoriam commiſſi erroris, & pœnæ temporalis loco, gravida facta, ſub doloribus ac cruciatibus fœtum eniti debeat: & quamvis aliquando unum alterumve exemplum in communi vita obſervare liceat, quod ſine peculiari labore atque dolore, breviſſimo temporis ſpatio fœtus excludantur, hæc tamen exempla adeo

rara sunt, ut vix ac ne vix quidem in contrarium quotidianæ observationis allegari mereantur. Quicunque enim superficietenus saltem partus negotium considerat, molemque excludendam qua foetus ordinarie gaudet, in comparatione angustiæ viarum, quas permeare debet, æqua animi lance ponderat; is facillimo negotio deprehendet, exclusionem foetus, non nisi sub rarissimis, & individualibus plane circumstantiis facilem esse, & sine doloribus, magnaque difficultate absolvi posse, quippe quod solum in robustis, laxiusque clausis personis, aut foetu existente minore, contingere potest: ita ut iure meritoque cum Propheta Rege fateri cogamur; DEum nos protraxisse ex utero matris.

§. III.

Cum itaque hoc sensu atque intuitu partus difficilis non sumatur, sua sponte exinde fluit, comparativam esse hanc partus denominationem, illumque hic intelligi debere, qui ad legitimum & ordinarium comparatus, variis ex causis, magis difficilis, imo præternaturalis audit atque illegitimus. Quemadmodum vero legitimus, naturalis, & comparative facilis partus dicitur; quando respectu partium genitalium mulieris, nullum partui impedimentum datur; foetus quoque naturalem & ordinarium situm, quo capite prius, & facie versus intestinum rectum matris inclinata, exitum affectat, servat; & aquæ foetum in utero circumdantes simul quasi protruduntur, ut, etiamsi non semper simultaneum, tamen neque nimis tempestivum exitum sortiantur: ita ad illegitimum, præternaturalem

lem atque difficilem referimus partum, omnem illum, qui vel a præternaturali membrorum genitalium diſpoſitione, vel a foetus illegitimo ac præternaturali ſitu, difficilis redditur ac impeditur: ita tamen, ut in præſente noſtra tractatione maximum habeamus reſpectum ad illum, quem ſitus præternaturalis & extraordinarius infantis cauſatur.

§. IV.

Quemadmodum ab illis, qui artem obſtetricandi callent, eamque ab omni ævo deſcripſerunt, unicus ille infantis ſitus pro naturali & legitimo declaratur, qui foetum capite inclinatum ſiſtit, & ſub quo infans ſtatim poſt orificii uterini aperturam quadantenns factam, capitis vertice intra pubis oſſa ingreſſus, occipite verſus pubem jacens deprehenditur; (de quo obſtetrices dicere ſolent, das Kindt ſey eingetreten, und ſtehe recht) ita præternaturalis ſitus longe plura occurrunt exempla, pluresque ſitus ſpecies, ab obſtetricibus deprehenduntur, partum in longum protrahentes, difficilemque, imo ſæpiſſime ſumme periculoſum reddentes. Sic enim noti ſunt diverſi illi ſitus, quando vel pede alterutro, vel utroque, vel ſimili modo manibus; vel pede manuque ſimul; vel natibus, vel ventre, vel dorſo, manui obſtetricis inquirenti ſe ſiſtit: vel quando genibus inſidens progreditur: vel quando apparente artuum alterutro funiculus ſimul umbilicalis protruditur: ne dicamus de ſpecialiſſimo varioque ſitu capitis, aut brachiorum, ſub modo dictis modis ſitus inverſi, ſimul concurrente; ubi v.g. caput infantis latera verſus oſſibus innominatis, vel reſu-

re ſupinum oſſi pubis firmiſſime infixum hæret; vel brachio alterutro tenetur, ut facilem cum reliquis partibus egreſſum invenire nequeat. Omnes hos, & quicunque alii occurrere poſſunt præternaturales ſitus foetus, ad partum referimus difficilem & præternaturalem, qui per artem, quantum in ipſius poſitum eſt poteſtate, quovis modo eſt facilitandus. Haud equidem nos latet; plures authorum partum, quo foetus utroque pede ſimul egreſſum affectat, magis naturalem ac faciliorem declarare, præ illo, qui capite contingit; verum, cum hic ultimus ad minimum ſit quotidianus, & ordinarius, regulam quoque quotidianam ſequimur, & cum plurimis illum etiam modum, licet de cetero facilior ſit præ aliis, ad præternaturalium claſſem relatam relinquimus.

§. V.

Cum itaque tot tantæque difficultates ſeſe offerant a ſitu præternaturali foetus utero incluſi, haud immerito & Medici & obſtetrices ab omni tempore curam geſſerunt ſollicitam, quo pacto difficultati partus obviam irent, atque per reſtitutionem ſitus magis naturalis, excluſionem fœtus redderent faciliorem; eoque ipſo, ſi non ſemper infantem, ad minimum matrem ſalvarent. Duplex præcipue in hoc negotio auxilii genus proponi ac ſuaderi ſolet, ab illis, qui pro liberatione muliercularum miſerarum aliquod afferre contendunt conſilium: unum conſiſtens, in foetus ipſius dextra per manum obſtetricis, aut chirurgi, facta aut ſuſcipienda inverſione, quam vulgo vocant das Wenden des Kindes:

de qua enchiresi plurimi persuasi sunt, quod per illam infans pro lubitu e situ præternaturali, in naturalem & ordinarium reduci possit: alterum est Matris parturientis reclinatio supina versus caput, quam vocant das Stürtzen; de qua non minus sibi aliisque promittunt, fore, quod foetus situ heteroclito adveniens, hunc situm facile in meliorem mutet, & tunc faciliori modo egressum inveniat. De priori enchiresi auxiliique genere in præsenti agere animus non est, cum forsan commodior alio tempore de hoc negotio dicendi sese obtulerit occasio; unde potius ad alterum remedii propositi genus tendimus, circa illud indagaturi, unde originem ceperit: in quo consistat: an utilitatem, aut damnum præstare valeat.

§. VI.

Originem a quibus traxerit huius auxilii commendatio, si inquiramus, docemur, iam dudum illud præscriptum esse a vetustissimis Medicis; siquidem Hippocratis scripta legenda nobis offerunt huius consilii vestigia, quæ partim in Libro I. De Morbis Mulierum; qui περὶ γυναικείων inscribitur: partim Libro περὶ Ἐγκατατομῆς Ἐμβρύου, vel De foetus in utero mortui exectione, reperiuntur. Neque a scopo dilapsuros nos esse putamus, si ipsa Divi senis verba hac de re proferamus. Loquitur Libr. De morbis Mulierum sequenti modo: *Utatur item concussionibus; sic autem concussionem facito: Lectum altum robustum ac instratum sumito, & mulierem supinam reclinato, pectus vero, & axillas ac manus, fascia, aut molli lato loro ad lectum alligato, ac cingito, &*

crura,

crura incurvato, & malleolis apprehensam detineto. Quum autem sic disposueris, sarmentorum mollium fascem aut aliquid huic simile parato, tantum quantus sufficit, ut lectum non negligat excipiendo ipsum, dum in terram proiicitur, quo non pedibus iuxta caput, terram contingat. Postea vero ipsam manibus lectum apprehendere iubeto, & lectum ad caput sublimem habere, ut declivis sit in pedes, animadversione habita, ne prona sit homo ipsa. Ubi vero hæc facta fuerint, & lectus sublimis fuerit, retro sarmenta supponito: maxime autem dirigito, quo pedes terram non contingant, dum lectus proiicitur & ut sint intra sarmenta. Elevent autem duo viri ex utroque pede hinc atque illinc, quo in directum lectus cadat. Concutiendum est autem maxime una cum partus dolore: & si exeant, statim quiescendum: sin minus, interstitio facto rursus concutito, & in lecto gestatam attollito ac agitato. & paulo post: *Quicunque vero duplicati complicantur, & in osculo uterorum incumbunt, eos sive vivi fuerint, sive mortui, rursus retro protrusos vertere oportet, quo secundum naturam in caput exeant. Quum autem retrudere voles aut vertere, supinæ foeminæ reclinatæ, molle quiddam sub coxas substernere oportet: & sub lecti pedes, quo altiores sint hi a pedibus, semper aliquid supponere. Sed & coxæ altiores capite sint, & ut nullum cervical sub capite sit, provideto. Quum vero retrusus fuerit foetus, & hinc atque illinc obvolvitur, ut secundum naturam constituatur, & quicquid sub coxas subdidisti, subtrahito. Capiti vero pulvinar subiicito.* Libro autem De foetus in utero mortui exectione sequentem in modum sese declarat. *Concutere autem hoc modo*

oportet: super tenui linteo substrato Mulier reclinanda, alio superiniecto, quo eius pudendum obveletur, & utrumque crus tenui linteo circum tegendum; & utraque manus. Duæ autem mulieres utrumque crus apprehendant, & aliæ duæ utramque manum, deinde eam ipsam non minus quam decies valide concutiant. Postea vero mulier in lectum reclinetur, ita ut caput deorsum, crura autem sursum habeat; & mulieres omnes dimissis manibus crura apprehendant, eamque crebro in lecto concutiant facta in humeros reiectione, ut in ampliorem locum concussus foetus convertatur, & naturaliter prodire possit. Sic quoque Albertus Magnus Lib. De Mulierum morbis, dicit: *Si autem foetus primo unico pede progrederetur, mater supine debet reclinari, pedibus sursum, capite vero deorsum, natibus probe elevatis. Et obstetrix manibus suis pedem blande retrudat: & Mater frequentius se vertat volvatque, donec infans caput ad exitum vertat.*

§. VII.

Sequentibus temporibus priores sequuti sunt recentiores, unde David Herlicius in Tractatu de Gravidarum cura mentionem aliquam etiam facit huius enchiriseos: & Solingerus eandem partim in Chirurgia, partim in Embryulcia, distinctis vicibus suadet atque commendat. Nec desunt nostris temporibus Medici, qui in Praxi communi hoc remedii genus tanquam primi ordinis, & principaliter adhibendum ordinarie suadent & iubent, cum veteribus in hoc passu procul dubio eandem foventes rationem, ex qua tota inventio producta videtur. Putarunt enim veteres, Foetum sub hac reclina-

clinatione supina, & ab iis quoque adiuncta concussatione, a confiniis orificii uteri, ossiumque pubis, passivo modo, & gravitatis pondere, versus uteri fundum relapsurum esse, eoque ipso eo redigi posse, ut postmodum sub situ puerperæ erecto, facilius novum aliumque commodiorem subeat situm, sub quo faciliorem quoque & magis naturalem exitum aut egressam invenire, vel ad minimum manu obstetricis intra uterum inverti, queat: quam rationem probabiliter desumserunt a cavitate uteri expansi, eaque cum figura sacci alicuius comparata, putantes fieri posse, quod molis alicuius instar in sacco ex parte vacuo & laxo, foetus etiam in partu constitutus, hinc inde facile moveri possit; simul respicientes forsan ad varios motus, quibus ante partum foetus vitæ indicia gravidis præbere solet. Nolumus statim fundamenta rationis allatæ, quæ ex allegatis Hippocratis verbis sufficienter patet, perquirere, eorumque robur indagare; cum commodiore occasione & firmiore iudicio id fieri poterit; quando plura adhuc dicenda, hucque spectantia, præmissa sunt: quapropter potius ad descriptionem ipsius operationis hodienum consuetæ progrediemur.

§. VIII.

Describimus autem ipsam operationem magis ex consuetudine recepta, quam ex præscripto; cum præter illa, quæ Hippocrates in superioribus satis operose atque confuse reliquit, parum de modo operationem administrandi, apud authores reperiatur, sed potius sola operatio tanquam iam nota

ſuadeatur & commendetur. Solent itaque ut plurimum foeminam parturientem in ſellam collocare cum reclinaculo paulo altiore, eaque foeminam alligatam ſupine cum capite deorſum verſus terram inclinare, coxis ſurſum elevatis, atque in hoc ſitu per notabile temporis intervallum detinere; aut per vices eandem operationem repetere. In hac operatione tamen alii ab aliis in tantum diſcrepant; ut gradum reclinationis ſupinæ moderentur, & eo contenti ſint, quod ſitum paulo decliviorem quam ordinarius eſt adornent, alii vero plenariam quaſi reſupinationem ſuſcipiant. Volutatio enim illa, & iectigatio, quam Hippocrates verbis citatis indigitat, quantum ſcimus, vel plane non, vel ad minimum rarius, & forſan ſolum apud ruſticæ gentis homines in uſu eſt; cum apparatu ſuo crudelitatis notabilem ſpeciem erga parturientes prodat, atque in ſenſus incurrere faciat. Unde circa modum adminiſtrationis haud amplius occupati, ſicco nunc pede tranſimus ad illam huius operationis conſiderationem, qua poſſibilitas effectus, & utilitas aut inutilitas ipſius in hoc negotio, erit penſitanda: quo tanto melius formari deinde poſſit iudicium, an hoc conſilii genus cum ratione & fructu ulterius miſeris parturientibus ſit ſuadendum & commendandum; an vero ex arte medico-chirurgica, Embryulciam reſpiciente, ſit proſcribendum.

§. IX.

Quod ut commode fiat, neceſſe eſt, ut conditionem uteri, tam ante partum, quam ſub partu, perpendamus. Situm itaque habet Foetus in utero cum

ſecun-

ſecundinis per totum geſtationis & graviditatis tempus, quamdiu incluſus eſt tunicis, ipſum cum Liquore amnii involventibus, & quidem ſufficienter liberum, ut motus, quamprimum vitam adeptus eſt, voluntarios, atque locales, notabiliter exercere poſſit; unde quoque mulieres gravidæ, a dimidio geſtationis tempore ad finem ipſius, varios diverſosque motus, mox pedibus calcitrando, mox brachiis extendendo, mox toto corpore hinc illinc movendo, perpetratos ſentiunt, eosque aliquando adeo fortes, ut aliquid morboſi indicent, vel ad minimum ſatis moleſti ipſis foemellis evadant. E quibus patet, uterum ſub imprægnatione, ſucceſſu temporis non ſolum expandi, ſed tantum etiam expanſionis gradum acquirere, ut infanti ſatis liberum concedat ſpatium, & laxe ſatis illum ambiat, nec ſtrictura quadam, arcte corpori infantili adplicetur. Hic uteri ſtatus procul dubio anſam dedit Medicis, ad inventionem ſupinæ reclinationis; reputantibus, ſemper eundem uteri manere ſtatum, ſub ipſo quoque partu, foetusque excluſione; quod, ſi ita eſſet, ſane hanc operationem legitimare, eamque repetito commendare poſſet.

§. X.

Eſt autem Uteri conditio, ſub ipſo partus negotio, plane diverſa ab illa: quemadmodum enim ante partum laxior uterus foetum tunicis incluſum amniique liquori innatantem ambit, ita, ſi laxitas illa uteri ſemper talis maneret, ſane nunquam excluſio foetus, partusque abſolveretur. Cum autem Foetus in uteri cavo hærens, ſit corpus ſolidum, atque nunc e loco movendum; nec via exitus ſimpliciter

citer pateat, ut foetus passivo motu, aut ponderis nisu, extra uterum simpliciter elabi possit; sane necessitas postulat, ut pars continens talem obtineat dispositionem, qua contentum propellere, ipsamque egressus viam reecludere possit. Utrumque fit fibrarum motricium uteri contractione, atque parietum uteri proximiore ad foetum adplicatione: qua foetus cum reliquis pertinentiis propinquius ad orificium uteri ad pellitur, sensimque intra pubis & reliqua ossa impellitur; & dum uterus ita a fundo orificium versus stringitur, eoque foetus, capite præcipue rotundo ad idem orificium adpellitur, sensim sensimque Uteri orificium aperitur, & sic egressus via paratur, quo foetus sub hoc motuum strictoriorum apparatu, per viam apertam exire valeat. Hic uteri motus circa foetum strictorius, efficit quoque ut tunicæ cum liquore incluso proximius accedant, & tandem rumpantur; quo facto in partu legitimo & facili, caput infantis vel immediate, vel brevi post, exitus viam ingreditur, firmiusque intra ossa deprimitur. Quodsi autem partus difficilis aut illegitimus fuerit, alia quædam corporis infantilis pars eandem viam quærit, eoque ipso, tangenti & inquirenti obstetrici in situ præternaturali se offert, ac simili modo firmius intra ossa impingitur. Nec desinit sub motibus atque doloribus ad partum spectantibus hæc uteri strictura, donec foetus & secundinæ excludantur, partusque absolvatur. Id quod optime ab experientia sciunt ipsæ obstetrices, & illi, qui manum obstetricantem mulierculis offerunt ex Medicis atque Chirurgis; quando sub intrusione digitorum, manuumve, intra

uterum,

uterum, tantam offendunt uterum inter & infantile corpus angustiam spatii, ut sæpissime digitos vix movere, aut manu officium suum pro intentione præstare valeant.

§. XII.

Cum itaque talis sit uteri status in & sub ipso partu, ut ille arctius ad corpus infantis adigatur, neque ipsius exclusio aliter, quam sub hac uteri constrictione absolvi possit; miramur sane quod Medici hanc operationem, in adeo angusto loci spatio impossibilem suadeant, ut foetus exinde alium, pro sui exclusione faciliori, situm acquirere debeat; ita ut dubii hæreamus, an non in illos iure cadere possit Solingeri iudicium, quod de Barbette, in puncto extractionis foetus mortui in genere, eiusque inversione in utero, declaravit; quando dicit: Barbette folget dem Aquapend: von Worte zu Worte, und redet sehr weitläufftig davon, wie das Kind mit einer Hand zu kehren sey: aber solches läßet sich mit Todten Kindern so beqvehm nicht thun; dann es gehet sehr schwehr damit her, es wäre dann, daß das Kind in einem gantz geraumen utero frey, und gar nicht darin gezwenget sey, und ist alßdann gleichwohl noch mühsam genug zu thun. Wo aber das Kind groß, von ordinairer Länge und Dicke, der Uterus auch in einander gezwenget ist, wie solches meistens geschiehet, so ist es unmöglich, daß man das Kind wenden kan, wie mich solches die Erfahrung gelehret hat. Hierauß erhellet denn, daß man von Barbette glauben muß, daß Er die Operation niemahlen unter Händen gehabt: Wie dann auch solche die wenigsten verrichtet, die doch viel Papier in deren Beschreibung verklecket haben. Aliter enim Uterus hic

 non

non est considerandus, nisi ut saccus, circa corpus aliquod solidum firmiter ligatus, quem si centies circumvolveres, saccus quidem loco movebitur, sed corpus illi inclusum, propter spatii angustiam situm suum nequaquam mutabit. Simili quoque modo mulier quidem parturiens, & abdominis contenta reliqua libere quasi fluctuantia moventur, & reclinantur, uterus vero obfirmationem suam in pelvi habens, locum, longe minus foetus a doloribus partus ossibus pubis infixus, ullo modo situm, mutare potest.

§. XIII.

Sola hæc impossibilitas finem propositum obtinendi, sufficiens esse posset, pro dissuadenda parturientium reclinatione supina: verum necessitas, & negotii circa quod versamur dignitas, postulat, ut alias quoque rationes, tam a priori, quam a posteriori desumendas adducamus, ex quibus respective ipsius inutilitatem, & noxam demonstremus. Quod ut tanto melius fiat; considerandas esse censemus circumstantias cum tempore, quibus præsentibus hæc operatio suaderi solet: fit hoc ordinarie generaliter in partu difficili, qui talis declaratur ex situ foetus præternaturali, quando nempe foetus vel capite oblique ad ossa innominata appulsus, humero aut manu alterutra; vel duplicatus natibus, vel duplicato collo, & capite vel resupino, vel ad pectus prono, vel dorso, vel abdomine, exitum quærens, ab obstetrice deprehenditur; & spes inversionis qualiscunque fœtus, per manum obstetricantem, evanuit; ruptis quoque tunicis foetum ambientibus, & aquis effusis. Quæ circumstantiæ omnes abundanter nos docent, tunc temporis a spasticis Uteri tractionibus, & sub doloribus

ribus partus, ingressum foetus intra ossa transitum ipsi concedentia, iam factum esse, foetumque ita infixum hærere, ut propter continuantes dolores, & uteri a fundo orificium versus contractionem, impossibile sit foetum retropellere: siquidem sectiones foeminarum in tali partu defunctarum, repetitis vicibus nos docuerunt, vim illam motus impulsorii tantam esse, ut certe haud leve manuum robur requiratur, aperto abdomine & utero, foetus ut retrahatur, præsertim capite ita in angustias protrusus. Si vero ad modo dicta quis regerat; verum quidem esse, foetum semel ita infixum non posse per reclinationem supinam retro pelli, situmque suum mutare, ast forsan melius hoc obtineri, si reclinatio supina tempestive magis susciperetur, & ipsi locus concedatur, tunicis foetum includentibus adhuc integris, stantibusque in illis adhuc aquis, & antequam motus spastici atque contractorii in utero invalescant. Verum ad hoc respondemus, quod sub his circumstantiis supina reclinatio æque intempestiva sit, quam sub antecedentibus: in illo enim casu contrariatur finis obtinendi impossibilitas; in hoc vero necessitatis & utilitatis defectus: quamdiu enim tunicæ adhuc integræ, & aquæ nondum effusæ sunt, tamdiu periculum illud cessat, quod reclinationem suppositam postulare opinantur; ne dicam, quod obstetrix in tali statu de speciali embryonis situ, qui adminiculum tale postulare posset, nondum adeo certa esse queat: præter quod gravior adhuc subsit metus, quod in hoc rerum statu Embryo potius ad præternaturalem, quam ad naturalem disponeretur situm; quod probant plura gravidarum exempla, quæ a vectura & ventris facta

 immo-

immodestiore motitatione aut succussatione aut a lapsu, damnum illud experta sunt, ut ex situ foetus præternaturali vitæ periculum, partumque difficilem incurrerent. Tandem si etiam in se verum esset, foetum a reclinatione matris e situ illo præternaturali in Uteri cavum retrudi, atque relabi; quis quæso fidem interponere poterit suam; quod postmodum non forsan eundem situm teneat, aut adhuc peiorem & magis periculosum assumat; cum id unice a casu fortuito dependeat.

§. XIV.

A posteriori autem & ex historia facti pro certo habemus, partim adhibitam reclinationem supinam in similibus casibus plane nihil iuvasse, partim absque illa satis feliciter extractionem foetus, tam vivi quam mortui, perpetratam fuisse; partim denique, damna atque incommoda gravia illam secuta, imo noxas irreparabiles ab illa productas esse. Primum quod attinet, Ego Præses plus quam simplici vice adstiti foeminis, in auxilium vocatus, quæ reclinatæ fuerant ante meum adventum, ex aliorum medicorum & mulierculorum consilio; siquidem nuperrime saltem foeminæ tali adstiti, ubi foetus brachio dextro exitum quærebat, corpore transversim per abdomen extenso, capite in pectus prono, in dextro pelvis latere hærente: hic reclinatio binis vicibus, per horam repetita erat, nullatenus immutato foetus situ, neque ad latum digitum relabente foetu; quem tamen sub Divino auxilio manibus extraxi, salva atque superstite matre. Possem hæc pluribus ex propria experientia corroborare exemplis, si tempus id permitteret. Quod autem absque hac operatione feli-

citer

citer ſatis foetus extractio abſolvi poſſit, id ante omnia teſtatur obſtetrix Brandeb. ſuo exemplo, quod nusquam hac operatione in graviſſimis licet caſibus opus habuerit: & ipſemet ſalva conſciēntia teſtari poſſum, Me nunquam hoc remedii genus adhibuiſſe, cum tamen ſonticos ſub manibus habuiſſem caſus; quorum aliquos in gratiæ divinæ aſſiſtentis laudem adducere poſſum. Vocabar ante aliquot abhinc annos ad Nautæ cuiusdam foeminam, ubi fœtus axillis adveniebat; capite ſupra os pubis matris, in pectus prono: accerſitus quoque erat alius Medicus, qui reclinationem ſupinam ſuadebat, quam tamen recuſabam, inſiſtebat alter dato conſilio, & ſub diſceſſu audacter aſſeverabat, me fruſtra eſſe tentaturum omne auxilium, neglecto hoc conſilio; verum divina effecit clementia, ut foetus, mortuus quidem, ſine unco & ullo inſtrumento ferreo, ſola manuum ope intra horæ ſpatium extraheretur, ſalva & ſuperſtite matre. Alia vice ante biennium ad militis uxorem vocatus, foetum capite oblique ad dextras protruſum, & axilla ſiniſtra exitum affectantem deprehendebam: eumque ſine reclinatione, trium horarum ſpatio, ſalvum vivumque parentibus tradidi, in hunc usque diem ſuperſtitem. Simili quoque modo ante ſeptem aut quod excurrit hebdomadas, ad foeminam gente Hebræam vocatus, foetum nates ad exitum præbentem offendebam, quam foeminam imperita obſtetrix per nycthimerum iamiam tractaverat fruſtra, nec genitalibus ipſius pepercerat, ut tumida, ſanguineque influo livida adparerent; & præ multa parturientis fatigatione, dolores ad partum neceſſarii diſparerent. Poſtquam ea, quæ pro excitandis

tandis de novo doloribus requirebantur, propinaveram, binarum horarum ſpatio, neglecta omni reſupinatione, Deo ſit laus, Puellam ſanam vivamque matri tradebam.

§. XV.

Poſſemus certe, ſi vellemus, plura adhuc in medium proferre rerum teſtimonia abundantiſſime aſſertum propoſitum confirmantia; cum vero ea, quæ allata ſunt, pro veritatis teſtimonio ſufficere poſſint; potius ad incommoda, & noxas, quæ ab hac reclinatione ſupina propullulare poſſunt, tranſimus. Primum incommodum, a quo nullæ liberæ eſſe poſſunt fœminæ ſub hac reclinatione, eſt reſpirationis difficultas, & ſuffocationis metus, cui ſubiiciuntur ab inteſtinorum & ventriculi verſus diaphragma relapſu: hoc enim contingente Diaphragma violenter verſus thoracem comprimitur, pulmonumque debita expanſio ſub aeris inſpiratione graviſſime impeditur; quod tamen in partus labore maxime eſt moleſtum. Alterum quod inde pullulat damnum, experiuntur præ reliquis perſonæ plethoricæ; præter enim quod ſanguis decubitu ſuo ad caput facto, vaſorum infarctum, partiumque inflationem cauſetur, ex facili graviſſimos capitis dolores, ex reſtagnatione ſanguinis oriundos poſt ſe relinquit. Ne dicam quod in iisdem ſubiectis graviſſimum incutiat metum, de vaſorum ſanguiferorũ ruptura in pulmonib9, & hinc ſubſequente hæmoptyſi, & ad phthiſin diſpoſitione. Neque ad ſymptomata foeminas tales leviter afficientia, referendus eſt Vomitus, quo ſub illa operatione vexantur, præſertim ſi brevi ante tempore cibos, aut potum pro lubitu aſſumſerint: quale quid eveniebat

foemi-

fœminæ illi, de qua primo ſtatim loco diximus: vomebat enim tanto cum impetu ſub ipſa reclinatione, ut poſt illam caput ſanguine quaſi inflatum eſſet & vomitus per totum parturiendi tempus continuaret.

§. XVI.

Neque nos latent exempla, quod poſt talem reclinationem ſupinam, colli inflatio quaſi ſtrumoſa ſequuta ſit: ſicuti enim hæc ſub ordinario partus labore facili negotio ortum trahere poteſt ſub eiulatibus, & aeris preſſionibus, ita longe facilius hoc ſuccedit in tali puerperarum ſtatu, ubi libera reſpiratio ipſis denegatur, humorumque decubitus extraordinarius ad has partes invitatur. Graviſſima denique noxa, & quidem irreparabilis, cum vitæ diſpendio coniuncta, eſſe poteſt metuenda abhinc uteri ruptura aut crepatura. Quodſi enim caſu contingeret, ut foetus, modo ſperato, verſus uteri fundum relaberetur, atque hoc impetuoſe contingeret, aut foetus artubus extremis, præcipue inferioribus verſus latera uteri expanſus eſſet, nil ſane facilius eſſe poſſet, quam quod vel a mole totius foetus relabentis, vel ab artu extremo firmiter ad uteri latus protenſo, ſub motu violentiore uterus diſrumpatur, & miſera talis parturiens derepente moriatur. Quod, ne quisquam pro rationis figmento habeat, ab Experientia, triſtiſſima licet, facti hiſtoriam huc facientem allegare liceat; de Muliere paupercula, partus labori ex poſita, & ante decem circiter annos pari fato in ſuburbio extincta. Hæc ex ſitu Embryi præternaturali difficilem patiebatur partum, & ob ſortis tenuioris conditionem obſtetrici ſeſe tradebat tenuioris experientiæ: adſtantes mulierculæ, tanquam ſimilis farinæ perſonæ, inter alia etiam reclinationem ſupinam, poſt-

poſtquam foetus mortuus deprehenderetur, commendant non modo, ſed ſuſcipiunt, & quidem plus ſimplici vice: quo facto brevi poſt ad ſtantes ſonum aliquem in ventre parturientis graviorem audiunt, paucisque momentis Puerperam ſub manibus extinctam vident. Mittebant mihi Præſidi nuntium, petentem, ut defunctam diſſecarem, inque cauſam repentinæ mortis inquirerem: nec renuebam, ſed quamprimum fieri poterat, apertionem ſuſcipiebam: qua adornata, Uterus in ſiniſtro latere diſruptus apparebat, propendente intra abdomen infantis pede; capite vero prægrandi intra oſſa pubis adeo infixo atque incarcerato, ut multo opus eſſet labore, quo extra hunc carcerem retrorſum traheretur.

§. XVII.

Hæc omnia, ſi probe ponderentur, tanti eſſe ponderis exiſtimamus, ut non modo impoſſibilitas, ſed inutilitas Reclinationis ſupinæ apud parturientes ſatis manifeſte adpareat. Unde iuniores præcipue Medicos fideliter monemus, ut Praxin aggreſſuri a tali conſilio atque remedio ſibi temperent, neque in illud ſpem vanam reponant, ſed potius obſtetricibus aliquando iuncti, talia conſilia proponant, quorum effectus minus infidus ac periculoſus, ſed certior meliorque deprehenditur. Nos in præſenti tractatione egimus id, quod officii, & negotii ratio poſtulavit. Sint ſummo atque æterno Numini laudes æternæ, pro ſingulari gratia, qua noſtra in hoc genere tentamina beare voluit; faxit idem Numen, quo præſens quoque tractatio in ſui Gloriam vergat, ægrarumque parturientium verum ſolamen ipſius ſit & maneat verus & unicus

F I N I S.